

**Dissertatio medica inauguralis de curatione aequivoca ... / submittit  
Johannes Fridericus König.**

**Contributors**

König, Johann Friedrich.  
Stahl, Georg Ernst, 1660-1734.

**Publication/Creation**

Halae Magdeburgicae : Litteris Chr. Henckelii, [1706]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/ncx4bv3q>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,  
DE

# CURATIONE ÆQUIVOCA,

QUAM  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
DN. PHILIPPO WILHELMO,  
PRINCIPE BORUSSIÆ, MARCHIONE BRANDENBURGICO,  
ET DVCATVS MAGDEBURGICI GVBERNATORE,  
CETERA,

*In Illustri Fridericiana*

*GRATIOSO FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU*

SUB PRÆSIDIO

DN. GEORGII ERNESTI STAHLII,  
MED. DOCT. ET PROF. PUBL. ORDIN.

*PATRONI AC PRÆCEPTORIS SUI ÆTATEM DEVENERANDI,*

**PRO LICENTIA**

Summos in ARTE MEDICA Honores, Insignia, & Privilegia  
DOCTORALIA, rite ac legitime capeffendi,

*Die Junii. M DC CVI.*

IN AUDITORIO MAIORI

*Placido ac publico Eruditorum examini submittit*

JOHANNES FRIDERICUS Rönig/

OSTERODA - HANNOVERANUS.

---

HALÆ MAGDEBURGICÆ, Litteris CHR. HENCKELII, Acad. Typ.

DEO  
PATRIÆ  
FAUTORIBUS



## PROOEMIUM.



**T** innumera alia ad veram Medicinam pertinentia, elocutus est Hippocrates, incomparabili sapientia, ita illud etiam veraci oraculo æquiparari meretur, quod habet: *quod plurimi ægri sine Medicis sanentur, sine Medicina vero nemo unus.* Asseveratio dignif-

fima est, quæ majorè solertia penitus evolveretur; & profecto ingens, in Medicinam damnum certissime redundavit, è neglectu hujus, non tam assertionis, quam rei, de quâ loquitur: veritatis non solum, sed imprimis etiam modi, secundum quam illa vera est. Certè enim si hoc jamdudum egisset Schola Medica, ut rectè considerasset, & cum debitâ solertissimâ circumspectione annotasset, quomodo innumera hominum multitudo, ex omnis generis morbis, non solum sine consilio, sed etiam omni auxilio, usualis Artis Medicæ, cum sanitate in gratiam redit: non vitam solum conservat, sed alias fortè sanitatis labefactiones interim retinet: verū etiam in solidum plenam illibatæ sanitatis sinceritatem recuperat: & observasset quibusnam modis, methodis, viis

hoc negotium ita feliciter absolvatur: imo considerasset quam pulchrum inter se nexum tales actus ad ejusmodi effectus præ sese ferant: fieri non potuisset, quin inde non solum ad meliorem imo luculentam theoriam, ad harum rerum respectus atque nexus inveniendos, via patuisset, sed etiam praxi ingens exemplum, imò exemplar & veluti cynosura obtigisset, quam partim sequi, innumeris locis atque casibus etiam necessarium fuisset, partim, & in multis occasionibus, imitari, maximo usui inferviiisset. Debuerat certe Medicos jure meritoque ad ulteriorem hujus rei considerationem instigare, tam eximia, qua Hippocrates hic utitur, loquendi atque denominandi formula, quod nempe **MEDICINAM**, nominet illam methodum morbos superandi, & ad sanitatem revertendi, quæ ita etiam sine ullo reliquæ *artificiose* medicinæ auxilio medicisve eveniat. Merebatur illa utique l. hoc solo intuitu, scrutinium solertius, quid sub hac appellatione veri subesse possit: Cum autem hoc factum decenter & pro dignitate non sit, habet eo ipso curiosior posteritas, in quo studium suum atque operam impendat atque collocet. Erit fortasse tempus, quo hanc rem prolixius exequi atque deducere aggrediatur Dn. D. Præses, & monstrare, quam solide vera, & quam utilis ad veram & felicem methodicam & dogmaticam praxin illa existat: Imò quam necessaria subinde, etiam adeò, ut sine illa nihil feliciter perpetrari aut absolvi possit; In præsens placuit mihi saltem ipsam hujus negotii veluti summam delibare, & ex illa deducere, quomodo hujus rei alibi inscitia, alibi negligentia, in Praxi medica triviali, frequentius errores pariat, ut Medicis, methodis, medicamentis tribuatur, illud

Iud quod potius revera sine illorum verâ & directâ operatione contingit; quin potius minime ita raro etiam contrâ illorum veram atque directam, five sententiam, five efficaciam, perpetratur. Placuit appellatione CURATIONIS ÆQUIVOCÆ uti, quod videlicet non tam ambiguum sit, quam passim etiam evidens atque manifestum, quod in ejusmodi casibus, nomen à re, imò res à re, causæ à causis dissentiant, & illud, quod verba directò sonant, solertiore sensu aliter capiendum & intelligendum sit. Practica profectò est res, & non solum ad Clinicam praxin plurimum pertinens: sed etiam ad Dogmaticam, in sanâ ratione inquam fundatam, praxin, pertinens imo necessaria. Unde tantò magis Speciminis Inauguralis loco illam tractandam sumere in animum induximus. Faxit Deus T. O. M. ut proposito hoc nostro feliciter defungamur, non verâ solum, sed etiam perspicua proferentes, etiam publico usui liitemus, & medicinæ ex hac *Medicis potiore Medicina*, aliquid lucis fœneremur.

I.

**C**urationem *equivocam* appellamus quando æger, imprimis etiam à morbo suo præsentè, revera liberatus *apparet*, ut de illo nihil amplius restare videatur: interim non injustum *dubium* subest, an hæc morbi sublatio vel *in genere*, quoad *modum* ut loquuntur *essendi*, absoluta, *fida* atque firma sit: vel *in specie*, secundum *modum fiendi*, justum subest *dubium*, an vel *aliunde*, undecunque illud tandem sit; vel potius verè à *Medici*, cura, *arte*, atque ope, hæc qualiscunque ægri ab illo aliquo morbo liberatio evenerit.

II.

*Duobus* enim hisce omninò modis *ambiguam* curationem

contingere posse & solere certum est. Dum videlicet primò præsens quidem aliquis morbi genius tollitur, & velut aufer-  
tur Æger interim vel ab illo statim tempore ad *veram* atque  
tranquillam *sanitatem* non revertitur: vel, siquidem etiam ali-  
quamdiu satis tolerabiliter valere appareat, tamen haud ita  
multo post, non solum *alia male* valetudinis species succedat,  
sed etiam ita peculiariter *certe*, ut tum *à priori*, cum pristi-  
no primo morbo realem aliquam *conspirationem* atque consen-  
sum habeat: tum etiam *à posteriori*, quoties illa *ambigua* &  
imperfecta præcipui morbi curatio suscipitur, talis *successus*,  
hujusmodi, aut similibus *aliorum morborum*, familiariter sub-  
sequatur.

III.

*Secundo modo* contingit *equivoca* seu ambigua curatio,  
dum patienti quidem consilio, studio, opera, medicamen-  
tis, variè succurritur: *eventus* interim morbi iterum duplici  
diversa ratione in *ambiguo* manet.

IV.

Nempe 1.) dum *nullus* bonus successus aut effectus sequi-  
tur; an hic defectus ipsi *morbo*, vel etiam *egro*, vel quibus-  
libet tandem *à Medico non* proficiscentibus, defectibus, tri-  
bui debeat: an verò defectus potius sit *in Medico*, ejusque  
*artificiis & instrumentis: methodis* inquam, & *remediis*: Ita, ut  
si *patiens* alia *convenientiore* methodo, & medicamentis magis  
idoneis & efficacibus, tractatus esset, vel certius, vel ad mi-  
nimum facilius, à tali morbo liberari potuisset.

V.

*Secundo*, quando etiam *patiens* ex toto aut ex parte li-  
beratur, *an hæc illius restitutio revera à Medico* proficiscatur.  
Ubi iterum diversi respectus subsunt.

VI.

Nempe 1.) an *Medicus* hoc verè & eminenter *suis ar-  
tificiis* effecerit: 2.) vel ad minimum dictis hisce *suis artificiis*,  
*directe juverit*, sublevaverit, promoverit restitutionem: vel

3) an

3.) an subsecuta in melius conversio, Medici adhibitz metho-  
 do & medicamentis, ut *inutilibus & in efficacibus*, potius  
 nihil debeat; vel denique 4.) etiam Medici adhibitz artes, li-  
 beram, promptam, & imprimis solidam restitutionem, po-  
 tius *morata sint*, aut prorsus *heteroclitico, contrario, imo teme-*  
*vario*, quodam agendi modo provocaverint: & hoc tam ali-  
 enâ, & in præsentem solum aliquo ægri peculiari habitu, *for-*  
*tituta* efficaciâ, ut in aliis ejusdem generis morbis, vel nihil  
 planè, vel parum profectu, prosperi, quin potius aliquid  
*periculosi* inferre atque producere soleant.

VII.

Quod itaque primum omnium horum modorum con-  
 cernit, quando nempe morbus aliquis conspicue emicans,  
 equidem *hac suâ indole atque formula cessare videtur*, interim pa-  
 tiens, licet ab *hâc morbi specie liber appareat*, propterea ta-  
 men minimè *ab omni morbo liberatus, & sincera sanitati restitu-*  
*tus existit*. Occurrunt certè ejus rei imprimis in praxi recen-  
 tioris scholæ, non pauca exempla. Quorum præcipua sunt,  
 1.) *suppressiones excretionum sinceriorum*, v. g. *sanguinis fluxuum*  
*sinceriorum*; aut aliarum *serosarum* evacuationum: aut *mo-*  
*liminum* solum *translatoriorum*: aut *operosiorum conatum*  
*secretoriorum & excretoriorum, febrilium*: aut *molestiorum*,  
 interim à præcipuo affectu, nisi etiam ille sustolletur, non se-  
 gregandorum, *Symptomatum*.

VIII.

Quot & quantæ in his affectuum generibus passim fiant  
*equivocæ* curationes, certe non facile est dictu. Ut *summa qua-*  
*si genera*, & eo ipso verè crassiora specimina illorum affectu-  
 um commemoremus, qui ita perperam, *equivocis* curationi-  
 bus, & ad veram summam negotii minime satisfaciuntibus,  
 præsentem quidem mali faciem *fucantibus*, interim patientem  
 in *veram sanitatem* non restituentibus, sed *alios non minores,*  
 sæpè etiam *graviores, malos* successus post se trahentibus, ma-  
 le tractantur, merentur primo loco nominari, *Hæmorrhogia*  
æris



*narium pueriles* jam aliquanto per assuetudinem, imo etiam externas immoderatiores corporis commotiones, contumacius *assuefactæ*, per quæcunque tandem artificia simul & semel suppressæ.

IX.

Cum enim *nimie* etiam *narium hæmorrhagia*, vulgo à plebe pro qualicunque, sive causa, sive effectu, *signo* certe juxta ejus mentem, *tabit*, accipiantur; adeoque insolescentibus iisdem, etiam Medica subsidia quærantur; non ita rarò fit, (sive à Medico, sive ab ipsa vulgi empiria temeraria) ut fluxus hi equidem cohibeantur: Interim ab illorum nudâ tali, & imprimis per *adstringentia*, cohibitione atque suppressione, graviora damna, & imprimis prius solum suspicione formidata *tabes*, nunc non saltem eventu certiore, sed etiam successu velociore, subsequatur. Ubi quidem, si *phthisica* fieri moliat, (quod præcipue evenit, quando cohibitio fuit segnior, nec in ipsos æque hæmorrhagiæ primos *insultus* immissa, sed senescentibus magis his subjuncta) *Asthmata convulsiva* cooriri solent, *tusses siccæ*, plus minus *spasticæ*, *pleuritides*, & *anginodes* symptomata. Sin autem *Hæctica* magis obrepit *tabes*; (quod cum impetu cohibitas, per initia paroxysmi, sub commotionibus etiam sanguinis spumidis, hæmorrhagiis, sequi solet:) mox febriles *calores*, *siccitates siticulosæ*, *ciborum fastidia*, *somni*, ad minimum quieti, defectus, *extenuatio*, *respirationis vitia* hypochondriaca, subsequuntur.

X.

Quid vero dicam de summe *equivoca* illa curatione, etiam *hæmoptyscos*, per *adstringentia*? Quæ quidem, sub paribus imprimis *temporis* atque *paroxysmorum ànæsthesiæ* instituta, certissime patientem periculo exponit subsequentis *phthiseos*: aut siquidem optimè res cedat, novi insultus; aut si impetui impetuoso obviam itum fit, in *siccioribus hæctica*, in *spongiosioribus œdemati*, imo *hydropi*.

De *hemorrhoidibus* fluentibus, propter exempla hodie propemodum plus, quam olim, tumultus & sermonis momentia, non placet prolixius loqui. Certum est, posse etiam optimam intentionem, nempe minime *supprimendi* atque tollendi, sed ad *moderamen* solum redigendi, hic offendere: ut Natura, *sensibilis* imprimis, si usquam, in hoc affectus genere, etiam benignioribus remediis, *motus* respicientibus, nimium obsequens, in posterum ab his quidem *Excretionibus* in effectum deducendis, pertinacissime absteat: interim à qualibuscunque *intentionibus* minime abstinendo, hepatis vitia, & inde *Ascitem* inferne, superne *tabem* post sese trahat. Et hoc etiam tanto magis, quando remedia ista *paroxysmis* talibus excretoriis temere opponere, inconsulta & imperita sapientia suavit.

XII.

In *Fœminis* quam perverſas curationes reddat *adstrictio*, in profluviis *lochialibus*, aut *abortivis*, non exactissime consideratis, speramus, & profecto merito optamus, ut posteritas diligentius animadvertat: imprimis quando etiam *alvus* hactenus defecit. Quam certe enim inde *febres inflammatorie*, & aliæ anomalæ, *phreneticæ*, *erysipelatodes*, familiarius *funeste*, pullulent, nisi quidem omnium rerum imperitos, neminem alium fugit: & hoc quidem, in puerperiorum magis legitimorum *lochis*.

XIII.

In *abortivis* sanguinis profusionibus, ita immediate *suppressis*, solennes *sarcomatum*, aut qualiumcunque membrano farum excrescentiarum successiones, quæ in posterum non solum *conceptionem* impediunt, sed etiam *hemorrhagiis* inordinatis & vehementibus uterinis, *tumoribus* abdominis speciem falsam *ingravidationis* facientibus, per *adstringentia* ulteriora magis exacerbandis quam coërcendis, aut quando hæc

intemperanter augentur, *cachexiam*, *hydropem*, *tabem* post se trahentibus, inserviunt.

XIV.

Longum esse prolixius enarrare quantum incommodi post se trahant curationes usitatae per *adstrictionem*, in *uteri haemorrhagiis*, sub *cessationem* menstrui fluxus per *etatem*, evenire solitis: imprimis in foeminis, quae alias *copiosius* has menstruas evacuationes experiri consueverant, Hinc enim non solum facillimus, sed vix non certissimus, est transitus in varia alia, vel *hypochondriaco-hysterica*, caput etiam & pectus varie in consensum corripientia, pathemata: vel externa *arthritodea*, familiariter autem utraque talia, inter se conspirantia. Ad minimum, si quidem non ita satis commode exprimere possunt tales patientes has pathematum suorum species, pessimè se hinc habere, & perpetua afflicta valetudine esse, nimis quam verè conqueruntur: quae indies magis insolescens, manifestius ante dictas species format & exprimit.

XV.

Quam *equivoca* autem & verè fallaces sint illae curationes, quando varii affectus, *doloribus*, *ardoribus*, *restagnationibus spasticis* motitationibus, variè molestissimi qui à *plethora* largiore dependent, jam *vomitum*, jam *catharsi*, jam *sudationibus* largis, jam *narcoticis*, jam *repellentibus* externis, jam *Martialibus* quoque modo *adstringentibus* internis, tractantur: In subjectis insuper à *mobiliore* vitae genere alienis, lautiore, *vinosa* *dieta*, utentibus, ad *animi pathemata* facilibus, *floridioris* *etatis*, & habitus quoque corporis laxioris &c. mille quotidianis exempla facile est observare.

XVI.

Non minore numero, aut non multum sane, occurrunt exempla hominum, qui *ventilationibus* sanguinis voluntariis per *VSnes*, *scarificationes*, aliquando etiam per *hirudines*, prius *assveti*, & illis etiam non idonei solum, sed etiam digni,

gnis

gni, posthac vel sua sponte has *negligunt*, vel curationibus etiam talibus *equivocis* ab illis abstrahuntur. His certissimè alia adhuc, vel prorsus ante incognita, vel adeo certe non notata, ingruunt: circa *caput*, doloribus, *vertigine*, *auditus* perturbationibus, *hemiacranis*, *odontalgis*, *angina*: in *pectore* tam *texture*, quam motus atque *libertatis* pulmonum, vitiis: in *dorso*, *scapulis*, *humeris* quin etiam *lumbis*, variis molestis sensationibus: in *hypochondriis*, *abdomine* & *intestinis*, variis inordinatis & magis impatientibus commotionibus &c.

### XVII.

Hiscè talibus pathematibus, si medicationes paulo ante dictæ adhibeantur, imò quæcunque etiam tantisper meliores, sed sine pristinarum *ventilationum repetitione*, nihil nisi *equivoca* curatio inde reportatur: quæ vel nihil usus atque commodi afferat, vel certius *incommoda* majora inferat.

### XVIII.

Quid, quod ipsis adeo athleticè sanis, quando in *agiliore* *vita genere* degentes, nihil habent, de quo conquerantur: illinc autem in *segniorem* *sedentariam*, *somnolentam* *vitz* rationem transeunt: sub qua mutatione, sub *plena* *insuper* *dieta* continuata, certissime succedit variorum similiarum *incommodorum* turba, aut aliquid ex illis *eximium*. His si eadem methodus, jam per *evacuantiâ* *aliena*, jam per *alterantiâ* & *palliantiâ*, occurritur; neglectis (cum ad *vitz* *laboriosiore* rationem redire, tales agri vix unquam sustineant) *ventilationibus* *proportionatis* *vicariis*: nihil nisi *equivoca*, *incerta*, *inconstans*, *aliena*, imò subinde *nulla* *sensibili* *successiva* *conspicua*, cura obtingit.

### XIX.

Quid autem de *lumborum* doloribus, eorumque prompta interpretatione tanquam *nephriticis*, imò *calculosis*, dicam? pro certo habeo, & suppetunt ejus rei non tam so-

lum argumenta idonea, quam experimenta manifesta, quod vix in ullo affectu plures & solenniores evenire soleant curationum *equivocationes* & heteroclises. Dum enim ita affecti, statim & promiscue pro *nephriticis* habentur atque tractantur; & medicamenta etiam vulgò ad *calculum*, promiscue & inordinate, laudari solita, sine *ordine* & *selectu*, offeruntur: numerosa hinc majora, aut certiora ad minimum, damna patientibus ingruere, inter quæ & certissimum, & non levissimum sit, *verus* demum calculi *proventus*, qui hactenus nondum in actum deductus extiterat.

XX.

Ingens est paritas cum *nephriticis*, & *lumbaribus* nondum verè *calculosis*, imò tandem etiam *calculosis* pathematibus, *pectoris* vitiorum, tam nondum vere *phthysicorum*, quam omnino ad hoc ingenium jam deductorum. Quam *equivoca* in his communiter fiant curationes, partim ratio dicat, partim experientia monstrat. A *ratione* enim quid quæso alienius est, quam ejusmodi remedia *vulneraria* in ventriculum immittere, & qualemcunque ex illis energiam in totam massam humorum *diffundere*, & non solum sibi fingere, quod de illa multum ad exiguam particulam pulmonum, quæ forte *ulcerata* sit, perventurum sit: sed etiam ibi tantum efficaciam exhibiturum, quantum aliàs nusquam in corpore, in simplicioribus etiam atque crassioribus ulceribus, possit, si etiam affatim, & nihil quicquam alteratis sui viribus, eò applicetur. Quali enim quæso de illis usitatis *traumaticis antiphthisicis*, ulum etiam in superficie corporis, quantumcunque *simplex ulcus* in integrum restituere licuerit? cum interim qualiscunque, sæpe vero etiam insignis, *adstrictoria* talium efficaciam, omnibus modis & respectibus justis intentionibus *antiphthisicis*, directè adversetur.

XXI.

In affectibus tam *virorum* & *mulierum hypochondriacis*, quam *harum*, *hysterico menstrualis*, in quibus aliqua, ut vocant *obstru-*  
*ctio*

*Itio* subest vasorum aut glandularum in *hypochondriis*, varie committitur *equivoca* curatio per *Martialia* medicamenta, imprimis autem in *mensum* vitiiis. Quod idem tanto magis se se exerit in profundioribus jam illorum vitiorum, ceu *fundamentalium* *confectariis*, *hecticis*, aut *cachectico-hydropicis*. Loco enim speratae *apertionis*, nihil certius aut solennius inde sequitur, quam longe major *oppilatio*, adeoque omnium morbi symptomatum *augmentum*. Quamvis ibi notari mereatur illa, sed alterius capitis, *equivoca* interdum eveniens *confectio*, in *robustioribus* subjectis, ut revera etiam *auctior*, & importunior adeo, talium abusus, tandem Naturam ad *vegetam* quandam *perruptionem* adducat, *directae* *efficaciae* ejusmodi *medicamentorum* revera *contrariam*.

XXII.

Longe major autem proventus hujusmodi *equivocarum* curationum occurrit in illis affectibus, qui sive tota sua indole, sive etiam *assuetudinis* peculiari ratione ad *chronicam*, & imprimis *periodicam* indolem ( licet non aequae statim ) transferunt. In talibus enim veluti quotidie & observare licet ejusmodi tentamina medica, quibus vel patientibus *nulla sensibilis*, imo vel solum *probabilis*, opera praestatur: vel si utique praesentis *exacerbationis* aliquod levamen sequi videatur, tantum tamen absit, ut de *summa* totius mali detrahatur, ut potius ejusdem indolis *paroxysmus*, sollemnissime non solum redeat: sed etiam frequentissime *breviore intervallo* quam olim, & saepe *graviore* impetu, aut *pertinaciore*: aut quoque modo *alieniore*, aliquid novi, & communiter quidem *deterioris*, ferente *schemate*.

XXIII.

Quibus incommodis, ut tanto magis appareat illa *equivoca* curae ratio, accedit, quod etiam talis horum generum cura, quae hucusque aliquid effecisse *in tempus*, apparuerat, *sensim*, imo quidem sic satis saepe etiam *cito*, satis plane deficiat, & in posterum inutilis evadat. Manifesto indicio, quod

B 3,

tali

tali affectui minime recte quadraverit, aut directe subven-  
rit.

XXIV.

Non placet huic classi diutius immorari, in qua nempe morbi qualitercunque sic curari *apparent*, sed non *in integrum* restituitur æger, verum solum *in aliud* schema convertitur malum. Jam vero *alteram* à nobis allegatam classem operosius lustrare, grave prorsus fastidium est: Dico, commemorare atque recensere, *quot modis, & quoties*, Medici equidem operosi prorsus, & officiosi sint, interim toto illo conatu, si res *recte, & secundum veritatem* æstimetur, *nihil* agant, & totum illorum cœptum atque universum propositum, in vanum & irritum abeat.

XXV.

Sunt profecto hujus classis omnes illæ medicationes, quæ neque manifestiorem aliquam *evacuationem*, producunt, neque præsentaneam & manifestissimam *alterationem*, in ipsos omnino sensus incurrentem (ad minimum quod facta facta sit) exhibent: v. g. uti *punctura Scorpionis* bono oleo *scorpionum* inuncta, statim quasi non facta in oblivionem abit, &c.

XXVI.

Unde huc quidem pertinent innumera *consilia & auxilia* ad *preservandum* à variis morbis, quæ ad *curandum* similes morbos plane nihil efficaciz exhibent: *Roborationes* item *variæ*, *vitalia energiz* per varios speciosos apparatus, aut sæpe solum *titulos, arcanorum, panacearum, balsamorum alexicacorum, &c.* Quæ omnia sanis exhibita nihil quidem incommodi forte afferunt: vere ægris autem oblata nihil quicquam etiam commodi præstant. Quod vel totis myriadibus seu millenis millenariis exemplorum confirmari posset, ubi in talibus casibus in quibus certe vera *vitali corroboracione* enixissime opus sit, *absolutissimæ* nihil efficiant: Bene *odorata* autem illa *aromatica*, etiam *noceant*: *Opiata* vero, si huic classi accenseantur, *inexpectata pericula atque damna* concilient.

XXVII.

Multis certe nominibus, multisque modis, huc pertinent, variæ officiosæ, interdum etiam non ab omni malitia eximendæ, assiduitates operosæ medicinæ practicæ, tum in aliis variis morbis, tum in illis imprimis, quos propemodum ipsa quoque Medicorum turba pro incurabilibus agnoscere & fateri solet: Podagra, Hydrope, Hæctica, Phthisi, aliisque per longam assuetudinem insolescentibus morbis.

XXVIII.

Si dicere sit integrum, quod res est, ingens etiam hujus classis speciem equivocarum curationum, est in ablegatione ultimâ illa ad thermas & acidulas. Olim quidem habebat illud consilium majus aliquod arcanum, quam quidem hodie habet. Nempe dum acidulæ atque thermæ pro verso Herculeo & supremæ efficaciz ad debellandos pertinacissimos affectus auxilio, partim ipsius credulitatis fiducia haberentur, partim persuasionibus etiam ipsorum Medicorum quorundam, pro talibus venditarentur: imprimis si per medica artificia præmissa, malum ad subjugationem promptiorem prædispositum & velut edomatum esset: ibi, si post irrita Medici conamina & machinamenta, etiam ipsi hi Soterii fontes nihil efficerent, testimonium hoc erat pro Medico, quod morbus in se sit insuperabilis, adeoque mirum non sit, nihil hic ipsius etiam Medici solertiam potuisse, cum vel suprema auxilia deficient.

XXIX.

At vero hodie evuluit propemodum hæc machina, & intelligunt homines passim totum arcanum, quantum tam in Medico, quam in fontibus hisce, sit spei & præsidii. Uti que postquam etiam plerique experimento didicerunt, quod quaecumque tandem inde reportant levamen, non solum temporis & sumptuum intuitu pretiosum, sed & usus, ante omnia verò constantie respectu, magis à proportionem alienum sit. Ut de illis nihil dicamus, quibus universa hæc tentami-



na penitus in irritum abeunt: His tamen etiam subinde adhuc grata est illa conditio, sicubi, ut ut minus profit, neque tamen noceat.

XXX.

Altiolem autem certe indaginem subinde poscerent illarum ambiguitates, quæ à nobis supra §.IV. circa hanc rem tractatæ sunt: Revera verò satis frequenter neque hic invidia careret aut odio, verum dixisse. Ita enim v. g. si quis dicat multa ita dicta remedia *chymicè* præparata, nullum habere neque *rationis* nec *experientie* compotem, usum, sed nomina illa, æque ac promissa altisona, nãnas esse: quantum numerum ille offendet contrarium ambitiosè prædicantium. Ibi *Antihæcticum* Poterii, *Tr. antiphthisica*, *Arcan. duplicat.* C. C. *Philos. calcin. Bezoard. minerale*, *Spir. Vitriol. philosoph.* *Spir. Nitr. bezoard.* *Bezoard. Solare*, *Martiale*, *confortativa Solaria* &c. quantã nomina? sed moriuntur *Hæctici* (non addam citius) quos tam vilis pretii remedio non conservasse piaculum esse debeat: Moriuntur *phthisici*, certissime citius ab illo inutili cramate. *Arcanum* illud multipliciter etiam *simplex est & factum*: *Calcinatio* illa, quam vel *philosophica* sit, vel quid *philosophici* addat, præ non ita tractato, cornu cervi &c. Et sane de reliquis verbum dicere, sit tempus & verba perdere. Interim hæc talia non *equivocè* sed confidenter etiam, & diserte, passim laudantur atque commendantur, & dubitantibus potius invidia timenda est, non asseverantibus.

XXXI.

Scilicet uti dictum, non solum *equivoca* hic sapius est curatio, ut justissimum sit (imo non raro etiam nullum verosimile) dubium, *an talis medicatio egro quidquam utilitatis præstiterit, nec ne?* sed ita etiam, ut justa subinde sit suspicio, quod non solum patientes *aliis modis* atque medicamentis *melius* tractari potuissent: verum etiam plane, præsens adhi-

(17)

hibita methodus evidenter, aut certe verosimillimè, etiam magis nocuerit.

### XXXII.

Certe *adstringentium* usus in *hemoptysi*, *lochiorum* abundantia, & *hemorrhoidum* fluxu; in *phthisi vera*, imprimis autem jam insolescente: *Volatilium* usus in *cacheeticis*, *oedematosis*, *hætico-hydropicis*, his & similibus malis, post *febres* incommodè finitas succedentibus, certissimam in *deterius* potius quam in melius conversionem post se trahit. Quibus ultimis generibus etiam *Martialia* imperitius adhibita quadrant: Possunt autem immensum quantum facilius imperite adhiberi quam perite: tanto magis, quoniam peritius, nempe *circumspectius* adhibita, operæ pretium non faciunt; unde facilè ad *imperitiorem*, nempe *copiosorem*, exhibitionem, facto progressu, pejores successus locum inveniunt.

### XXXIII.

Neque verò placet arduam rem perfunctoriè tractando, illi non satisfacere: exquisitè verò illam persequi neque locus hic proprie permittit, neque tempus tulerit. Latius alias notare æquum esset gravissimos effectus ab improvido *Opii* usu, in multis morbis subsequentes. In *acutis*, *deliria phrenetica*, cum brevi *funesto* exitu: *typhi* imprimis *perurbationem* cum illo eodem successu: *indolis* totius *anomalias* insolitas: unde hodie tot exempla *februm* ab omni consueto typo *aberrantium*; non solum qualis ab antiquis consignatus est, sed etiam apud omnes, qui *nullo Medico*, aut ad minimum, non tali *methodo*, utuntur, hodieque reperiuntur.

### XXXIV.

In chronicis *tabidis*, ab *Opio* omnia pejora: tam in his, quam aliis, imprimis cum aliquâ *congestione* ad exitum tendente *conjuncta*, *contumacia* posthac immutabilis: & quantumlibet etiam meliora, & quoquo modo affectui convenientia in posterum substituantur, irrevocabilis penitus: sed semel obfir-

mato impetui, constantissime insistens. Indignum esset hic obiter solum commemorare aliquot exempla, in *hypochondriaco-nephritico-colico arthritico-ischiadicis* casibus, mortis intra paucas horas Opii abusu secuta.

## XXXV.

Progredimur itaque potius ad alterum *equivoca* curationis summum genus, & dignissimæ considerationis. Nempe, si quando etiam Medicus patienti in subsidium advocatus, hunc ita salvasse videatur, ut ille in integrum restituitur, & vere ad sanitatem redeat, quantum ibi, semper, & *absque ullo justo dubio*, Medicus sua arte & remediis, vere præstitisse & effecisse potuerit: & quam solidè de illo dici aut intelligi possit, *quod ipse Patientem in integrum restituerit.*

## XXXVI.

Quod in prooemio monuimus, illud & nobis semper ante oculos est, & esset profecto optandum, ut omnibus Medicis, nec ex animo, nec è consideratione unquam excideret, priusquam & solidissimè perspectum haberent: & rectè cognitum, etiam in singulis patientibus denuò peritissime atque solertissimè illud applicare meminissent. Nempe, quænam sit illa jam *Hippocrate* laudata, *Medicina sine Medico?* quæ tamen etiam *cum Medico* ita passim concurrat, ut nec ille ipsam negligere aut subterfugere possit: nec illa *alieniores* Medici ausus, sine morbi insigni subinde detrimento, atque totius curationis *damno* familiarissimo, ferat aut permittat.

## XXXVII.

Iterum dico, quod negligens illa *musfitatio* de *Synergia Naturæ*, totam veram *Theoriam*, & proinde etiam *Therapiam Medicam*, *Medicam* inquam, pessum dederit? Dum nempe nusquam ulla iusta, imò verò necessaria pensitatione examinatum aut perspectum est, in quonam consistat illa *Synergia?* An in genere in omnibus; an verò seorsim in aliquibus, & in

quibusnam, morbis, occurrat? An in omnibus equaliter, aut in variis diversimode; ubi hoc vel illud, quomodo, quantum præstet? Quid & quibus modis agat? An, & quantum illi actus ad felicem successum concurrant atque faciant? An, quomodo, & quantum necessarii sint? an etiam citra illos, morbus solvi possit, sine externo artificio? imò an hoc fieri possit, solo externo artificio, nempe ut sine illis spontaneis internis Synergiis solveretur. Quas partes hic habeat illius Synergie energia, ad Medici externam opem & artem comparata; Prioris atque majores: an verò sequiores atque exiguas? &c.

## XXXVIII.

Ita certè alia sperari posset & cognitionis & curationis medicee facies, & longe magis univoca, quam equivoca, ratio: cum autem hæc considerationes huc usque in impedito sint, manet difficultas illa, nimium quam equivoca passim operationis.

## XXXIX.

Ut vero adhuc semel rectè pateat, quid etiam hoc loco per equivocam curationem intellectum velimus, designamus hoc nomine, talem Medici operam & industriam, quæ ille adversus varios morbos medicamenta æque atque regimen & methodos præscribit, sub quorum usu patiens sensim ab impetu morbi liberatur, & ad sanitatem veram atque solidam revertitur: Interim vel alii, etiam nullo Medico, nullis medicamentis, nullis hujusmodi consiliis utentes, ab eodem morbi genere, nihilosecius, nihilo segnius, nihilo imperfectius, pariter ad sanitatem revertuntur: vel plane hi, qui nullis talibus medicamentis aut methodis artificiosis usi fuerunt, etiam tranquillius, certiore ordine, breviori tempore, sanitatem recuperant, quam illi, qui talibus artificiis utuntur; aut ad minimum, quam plerique talium.

## XL.

Nempe meretur hoc loco omninò maximopere considerari ingens illud, magna revera injuria à vulgarium medi-

carum Scholarum quarumlibet, considerationibus, verè, sed profecto malè, neglectum phænomenon, quod in longe plurimis morborum generibus, non solum ingens hominum multitudo etiam sine artificijs passim conservetur atque, in integrum restituatur: Sed etiam nihilo difficilium, molestius, aut minus secure, nedum minus promptè, quam suo usitatis, imprimis diserta doctrina commendatis, Scholarum consiliis & auxiliis.

XLI.

Ut itaque fundamentum verum substernamus, asseveramus in genere, quod omnis illa curatio verè & in solidum sit maneatque *equivoca*, in qua Medicus equidem *sine Natura operâ* nihil potest: interim neque hoc in genere, nec imprimis in specie, quidnam & quantum possit aut non possit, agnoscit, aut intelligit. Hanc affirmo, uti maxime familiarem, ita gravissimam esse, *errorum medicorum genetricem*, uti trivialis habet verficulus, *equivocationem*.

XLII.

Est alia, in speciem quidem levior, sed per implicationem totius negotii, re ipsa profectò vix quidquam tolerabilior, illa incertitudo, quando Medicus equidem inaudivit aliquid de hac *mutua atque reciproca conspiratione*, imo *necessitate*, suorum, & œconomiz corporis propriorum, operum atque ausuum: interim nihil *solidi*, nihil *certi*, nihil *firmi* & constantis hic habet atque callet. Unde quidem non eximi potest, aut vitari illa errandi occasio, quid vel sumere sibi debeat, quod ipse maxime agat, Medicus, vel tribuere, quod ipse verè egerit, si peractum esse appareat. Profecto quantum hic passim, & non solum frequenter, sed etiam ferè constanter, *erroris* committi soleat, vix quisquam hominum, usquam uberius invenire aut advertere possit, quam in *Febrium* tractationibus atque curationibus.

XLIII.

Unde quidem, ut rem ipsam aggrediar, primo meritò lo-

co sisto ipsas FEBRES, & circa illarum curationes maximam equivocationem vigere atque committi, affirmo.

XI. IV.

Quid enim usquam sit, nisi hoc quidem *equivocum* est, quod tota Schola Medica, in universa suâ *Pathologia* recepta, quantâcunque diversorum verborum & loquendi formularum, imo etiam conceptuum atque fictionum disparitate, discorde atque discolore, tamen in illo inter se familiariter consentiant, ut illas Febris circumstantias maxime *pro ipso morbo* agnoscant atque declarent, quas *Natura*, unice *salutari* instituto ita suscepit, ut illarum legitimo usu atque successu corporis integritatem potius *conservet* atque destructiones *depellat*, aut ad minimum *oppugnet*: & quas proinde non solum fieri *neesse* sit, sed etiam *justum* & *aquum*, omni modo potius *juvari*, *promoveri*, *sublevari*: quam ullô modo *negligi*: quid dicam, *pro ipso morbo haberi*, adeoque, si sanam rationem ducem sequi velis, *diversa* *methodo oppugnandam* atque *supprimendam* censerî.

XLV.

Certè quamdiu usquam talibus opinionibus imbutus est Medicus, alterutrum fieri absolutè necessarium est: nempe ut vel (1) huic suæ *Theoriæ Therapiam* superstruendo, directè *adversus Nature motus atque methodum* pugnet, adeoque patientem in mortem conjiciat: aut (2) ab hac *Theoria*, per qualescunque contrarias *observationes* deturbatus, ad nudam posthac, eamque ipsam necessario *fluxam & incertam Empiriam* dilabatur: qua etiam ipsa nihil posthac dispicere aut assequi valeat, *quam ratione* sive vere debeat febrî *opem* ferre: sive si illi *opem latam fuisse* appareat, *quânam maxime ratione* hoc ipsum factum esse, & quantum inde *sibi, salva veritate*, arrogare, & *sua arti atque efficacia* tribuere possit.

XLVI.

Unde profecto minimè dubitamus affirmare, quod in *plerisque etiam quarumlibet Febrinum* curationibus, ad vulgares

opinionēs, non solum *pathologicas*, sed etiam *therapeuticas*, institutis, omnia sint *equivocatione* plena, i. e. valde incertum & ambiguum, *an, quid, & quantum* Medicus, ejusmodi Februm curam agens, ad recuperatam tandem patientis vitam atque sanitatem, *verè & indubiè*, præstiterit.

## XLVII.

Nimis operosum, & imprimis, quod præsentis instituti ratio non permittit, nimium *prolixum* foret, illos vulgaris Medicinæ conatus, imo ausus subinde, hic percensere, quibus non solum ab illa Februm propria vera indole discedens, quid ad subsequutam fortè restitutionem contulerit, in dubio relinquit: verum etiam dum patientes nimium quam sæpe in *anomalias*, præsentis tali Febri alias planè insolitas, dilabuntur, quid potius ad hos eventus occasionis ipsa præbuerit, injustam speculationem invitat.

## XLVIII.

Ut è multis pauca breviter delibemus, inde à triginta circiter annis, in his præcipue terris, magis receptari cœpit, alias adhuc paulo annosior *Rulandina* illa jactatio usus *Vomitoriorum* in febribus quibuslibet, & imprimis *acutis*, etiam *malignis*. Cum nemo facile, nec illis ipsis temporibus, quibus talia imitari atque commendando propagare suscipiebantur, nedum posthac, propioribus, temere *Rulandum* consilii Autorem laudare, & ejus vestigiis insistere, magno perè gloriæ duceret; factum tamen est, ut posteriorum, qualitercunque prosperior existimatio atque fama, tantò plus auctoritatis atque gratiæ his consiliis fœnerari videretur. Propagata ita est hæc traditio, de tempore in tempus, plurium subsequantium, ad loquendum atque scribendum promptiorum suffragiis: arrepta verò à turbâ purorum Practicorum, scilicet *Empiriarum* sectantium, & Scriptorum fidem, & uti vulgò arbitrantur, multiplicem eruditionem atque maximam peritiam, pro fundamento suæ credulitatis assumentium.

Ed usque certè infedit hæc opinio animos multorum Practicorum, ut etiam quidem ante paucos adhuc annos, ubi de Febris scribere suscepisset, peculiari illa expressione uteretur: Convenire hodiè inter Practicos, & nemini uni illorum dubium esse, quod in febris, etiam malignis, initium cura facere conveniat à Vomitoriis. Interim notatu merito dignum est, quod illi ipsi, quorum suafu atque commendatione, hi tales, non solum utuntur, sed omnino etiam nituntur, illam methodum in propria sua praxi non sequi soleant. Cujus rei statim, si opus esset, documenta proferre promptum esset.

L.

Quid autem Vomitus, tum ad plerarumque acutiarum, tum ad malignarum imprimis, curam conferre possit atque soleat, utpote quarum fomes in ipsos humores, seu sanguinem, diffusus oberrat, & halituofo maxime contagio in corpus receptatus fuit, & alias nemò facile ita à priori agnoverit: nisi quidem *ναρὰ πύλα* Dni Dobzensky opinioni insistere velit, quod contagia non nisi per os hausta, saliva immixta, & in ventriculum deglutita, vim suam exerant: cujus tamen assertionis documenta vera atque solida, justissimè certè desiderari possunt.

LI.

Ita tantò magis suspectam facit hujus tam theoriæ quam praxeos veritatem triplex phænomenon, magni, in singulis numeris, in contrarium ponderis.

LII.

Primò enim ex illis, qui sine Medico, aut sanè sine exhibitio medicamento Vomitorio, nihilominus à morbo tali evadunt, spontè Nature nunquam ad hanc evacuationem inclinant, nedum pertendunt; nisi exemplis per individua ita singularibus, ut ibi planè particularem accidentalem constitutionem, à reliqua directà indole febris ipsius prorsus alienam, in causa fuisse, non solum probabile, sed communiter etiam evidens sit.

LIII.



*Secundo*, quod sine omnibus *Vomitoriis*, per sola convenientia *Alexipharmaca*, impr. autem decentia *regimina* & *methodicos* successus, morbi tales passim feliciter curentur.

LIV.

*Tertiò*, quod omnino etiam illa methodo per *Vomitoria*, nemo quisquam patientium vel *certius*, vel *citus*, vel *commodius*, vel mutatis reliquis solitis *successibus* & eventibus, restitatur, quam aliis, *sine Vomitu* instituto, rectè susceptis & administratis, vel *artificiosis*, vel *Naturæ spontaneis*, methodis.

LV.

Imò, si maxime *Vomitus* administratus sit, nisi omnia atque singula, quæ quibuslibet aliis *methodis*, & *primariæ* illi *spontaneæ*, salutaria, imò *necessaria* sunt, huic etiam *pari sollicitudine* adhibeantur & administrentur, nihilominus hæc ipsa etiam solidè *funestum* exitum sortitur, quam ulla reliquarum iisdem requisitis male observatis.

LVI.

Neque verò hoc solum, sed cedit, non magis familiariter quam communiter, *male*, hæc methodus per *Vomitoria*, quandoque non tam *robustis* plebejis hominibus (quod reverà in ejusmodi *Practicorum*, qui talia laudant, *observationibus* merito notandum venit) quam *sensibilibus*, *delicatis*, ad anomalia commotiones sub *otiosa* sua vita, & animi *impatiente* aut *moticulosâ* indole, pronis, *plethoricis*, *consvetarum* imprimis *sanguinis* evacuationum vitia perpeffis, adhibetur, tantum abest, ut affectum talem in melius inclinet, ut potius certo certius eundem *exasperet*, & omni modo vehementiorem, instabiliorem, inæqualiorem, à communi more alieniorem, reddat.

LVII.

Undè profectò, sicubi etiam promiscuè in quarumlibet, imprimis *acutarum*, & inter has supremo loco *contagiosarum*

Februm curationibus *Vomitoriis* non tam concessus est, quam sub maxima spe etiam vindicatus locus, quidquid tandem eventus succedat, *equivoco* certe de illo quicquam imputatur huic methodo, i. e. *falso*.

## LVIII.

De *purgationis* usu plurimum *equivoco*, promiscue in quibuslibet *acutis*, imo quibuscunque tandem Febris, cum Dn. D. Præses peculiari schediasmate mentem suam explicare & jam diu promiserit, & sub ipsis jam tum operis illud verifetur, prolixum hic esse non arridet. Pauca hæc dixisse satis fuerit: in quibus peculiare quoddam remedium, quod etiam *purgandi* (sed minime *solam*, neque hoc loco *precipuum*) vim habet, *utilitatem* aliquam afferre, aut ad minimum non nocere videtur, caveat quilibet prudens, & non magis scientiæ suæ, quam conscientiæ rationem habens, ab aliorum quorumlibet *simpliciter purgantium* usu: imo illius ipsius, quod in illa *formula* purgantem effectum edit, extra illam *formulam*, usurpandi ausu, nisi graviter impingere & ab illis de *promiscua purgationis utilitate* in his casibus promissis, longissime abesse velit. Imo caveat sibi ab istius ipsius formulæ improvido, aut imperito usu *simplici*, plane peculiaribus *administrandi methodis* destituto. Quandoquidem ita etiam nihil nisi malum effectum illi ejus ausus fortientur.

## LIX.

Interim quicquid etiam hæc ipsa methodus feliciori sui successu, boni tandem eventus assequatur, certe ab *equivocatione* omni illum liberare in nos minime receperimus. Quod enim non *laxatione* qua tali, effectum bonum absolvat, & vanus sit hoc loco *Hippocratis* locus, quod *solutio alvi febrem solvat*, monstrat abunde *spontanearum diarrhearum* ad Febres has *petechizantes* (quibus proprie illud remedium destinatur) accessio: quibus tamen Febrem minui nedum solvi, quis fando acceperit?

Quid, quod ipsæ *Diaphoreses*, per nudam artem hic *incitata*, & extra ordinem, *etiam sine Medico solennem*, atque indoli materiæ febrilis à priori respondentem, promiscue, & ad libitum, tam *quantitate*, quam *commotionis* qualitate, & *imprimis tempore*, à *spontanea Naturæ* methodo *alienis*, institutæ, non solum eventum curationis, si quisquam adhuc bonus succedit, verè & in solidum, *equivocum* reddunt; sed multo frequentius etiam totum *successum* & *consuetum typum* febrium, ita anomalum efficiunt, ut exitus nimio magis *equivocus*, quidlibet potius quam *maturam & securam* sanitatem, imo sæpe numero vel ipsam solum vitam, post se se trahat.

LXI.

Puto breviter expedire posse totum hoc negotium, quando dixerò, quod jam olim Dn. D. Præses in Præfatione *problematum ad commodiorem Pathologiam Februum* pertinentium, annotavit. Nempe 1.) quod plures à Febris convalescant *sine Medicis*, quam per Medicos (imprimis in Febris etiam *pejoris moris.*) 2.) quod qui etiam Medicis utuntur, quoties *hi vulgaribus methodis* insistant, nulla alia solatia ad summam *sui affectus* inde reportent, quam illi qui Medico non sunt *usi*; sed utrinque *eædem accidentium* species, *eadem mutationum* tempora, *eadem duratio* seu periodus, observentur. 3.) Quod plerique illorum, qui artificii Medicorum *manifeste*, *manifeste* dico, operantibus, (& imprimis diversum quiddam *quam alias etiam sponte* salutariter evenire solet) utuntur, *gravius communiter* afficiantur, quam qui *sine Medico* convalescunt. 4.) Ex adverso vero illi demum feliciter habeant, qui vel sua *sponte*, per moderamen tranquillum & bene ordinatum, vel consilia aut auxilia Medicorum *his velificantia*, recte tractantur, illi demum recte atque commode ad sanitatem revertantur: aut si hujusmodi methodo successus desit, alia etiam quælibet, quantumcunque magna spe, & *efficto artificio* tentata, irrita sint & inanes.

LXII.

Breviter, cum nihil absolute, propria sua arte aut industria adeoque *directe & per se*, hic possit Medicus, sed unice veras Natura operantis vias atque procedendi methodos, *sequi* atque *sublevare* necesse habeat; Puto satis appariturum esse æqui animi Arbitro, quantum sibi seorsim de tali, etiam prospero eventu, tribuere possit Medicus, si omnia ita recte etiam atque decenter, quæ in rem sunt, administraverit: nedum ut si hæc neglexerit, imo, perversa interpretatione in contrarium acceperit & egerit, aliquid inde sibi adscribere, & si adhuc bonus eventus, non solum sine sua opera, sed etiam *contra illam*, tandem subsequatur, illum temere ad se rapere audeat.

LXIII.

Quid vero dicemus de illis Febrium tractationibus, quando illæ sub peculiaribus methodis aut medicamentis, ab illa sua indole, quam in mille aliis patientibus magis *equalem & constanter eandem* servant, ita deflectunt, ut non solum primo suo, & quasi magis proprio decursu, plane peculiarem progressum atque successum forment, sed etiam ipso exitu non quidem plane funesto, tamen omnino insolito, & à consuetis modis atque motibus plurimum diverso, *in alias formas atque schemata plane inconsueta* transmigrent. Quod non solum in *Acutis* sæpe numero ita usu venit, sed etiam in *Intermittentibus*, & satis frequenter etiam harum levissimis, *Tertianis*, inconvenienter tractatis, imo etiam sublatis, nempe suppressis.

LXIV.

Quam *equivoca* vero se se passim offerat cura, in morbis valde *malignis*, & imprimis ipsa *Peste*, docere utique potest experientia ipsa quotidiana, quæ nempe satis confirmat, quod nihil ibi fiat, cui aliquid *certi, solidi & indubii* adscribere, & quemcunque tandem eventum adhuc salutarem, illis *directe* tribuere sit integrum: imprimis extra solum atq; solidum consilium *regiminis* decenter excretorii, recte instituendi atque pro-

sequendi. Valet enim in his etiam *malignioribus* Febris illud ipsum quam maxime, quod jam ante in genere diximus, nempe quod etiam sub usu vulgo commendari, & quam maxime prædicari solitorum, medicamentorum, nullus alius boni eventus modus expectari possit, quam qui etiam *sine medicamentis*, reliquo *Nature robore*, & patientis *bono regimine*, per *spontaneam* convalescendi rationem, salutariter evenire in variis ejusmodi patientibus, observatur. Unde etiam minus *equivoca*, sed manifestioribus in melius progressibus conspicua curatio, illa demum maxime salutariter cedit atque evenit, quæ *hujus methodo* prudentius atque solertius accommodata, tam medicamentis sensibilius huc bene *cooperantibus*, quam *regiminibus* idem exequentibus, innititur.

LXV.

Iterum itaque diserte hoc affirmo, quod, cum nulla alia hæctenus adhuc innotuerit, quam experientia constans confirmet, *ars aut methodus Febris curandi*, quam unice per illam rationem atque viam, quam ipsa etiam *Nature etiam Medico* insistit & exequitur; In hac autem consilio & auxilio quoquo modo promovenda, Medici tantum *socia* sit opera, ut ille diserte eloquendo, curationem minime absolute præstet, aut absolvat, sed tantum *dirigat*, & quoquo modo *adjuvet* atque faciliat: Tanto minus quidquam hic fiet boni, imo solum tolerabilis & innoxii, quando *diversa* tentamina atque artificia in usum trahuntur, uti fere in *vulgaribus* tumultuariis consiliis atque medicationibus, passim fieri potest: sed quod revera subsequentes adhuc hic illic *salutares* exitus, non nisi absolute *equivocè Medico* ejusque curationi imputari possint.

LXVI.

Jam si ad *Chronicos morbos* progrediamur, facilius profecto foret enumerare, si modo ibi etiam numerus colligi possit, in quibus affectibus vera atque solida *univoca* atque indubia curatio locum juveniat, & imprimis per *usitatum* etiam.

etiam *doctrinam* practicam, in usu esse vere deprehendatur; quam in quot & quibus morbis chronicis, non nisi profus *equivoca* cura in vulgari usu atque praxi vigere, si animus decentet advertatur, observari possit.

LXVII.

Nimum excreveret nostra tractatio, si vel paulo laxius singulos illos morbos perlustrare vellemus: Unde non nisi precipuos, & omnino consideratione prudentione dignos tangere placet *Epilepsie* curatio, quam communiter non solum ita *equivoca* est, ut, an etiam quidquam ad affectum conferat, perpetuo *ambiguum* maneat: sed etiam sicubi tandem mitescere, aut plane cessare observatur malum, quam communiter ibi ita *equivocas* observare licet circumstantias, ut summo profus jure dubitare liceat, an sua *sponte* tandem consumpta causa aut impetu, cesset: Aut penitus *heteroclitico* agendi modo (precipue non amplius in aliis subjectis pariter successuero) medicamentum aliquid *contribuerit*: an vere magis *directe*, morbi sive *imminutioni* sive *sublationi*, satisfecerit.

LXVIII.

In *Cephalalgis* pertinacibus, vehementibus, recurrentibus, tam *feminarum*, quam virorum juniorum, utrinque *plethorici* status, & aetatis adhuc *floridae*; in *Hemicraniis*, imprimis *dentes*, *aures*, imo humerum ejus lateris in consensum trahentibus: in ipsa simpliciore etiam, sed importuniore tamen, *Odontalgia*, & hac quidem imprimis vix non absolute, quam *equivoca* communiter sunt curationes ad vulgatam syntagmatum practitorum methodum instituta? De illa, quam supra jam merito suspectam habuimus *equivoca* curatione, quæ per *Narcotica*, palliat tantisper hujusmodi affectus, imo, ut imprimis *Hemicraniam*, etiam deteriores reddit, iterum dicere non placet.

LXIX.

Quid vero de reliqua tum juniorum constantiore circa superiores corporis regiones, tum annosiorum *vaga*, *Arthritide* dicam? certe sive *nihil* sublevet, quod fere communissime facit, sive aliquid sublevare appareat (vel cito per *Narcotica*

vel *tarde* post longum tempus ) *equivoca* communissime est ejus curatio, secundum varias acceptionis nostræ rationes.

LXX.

*Phthisicos* curatio, *vera*, absolutè *equivoca*, qualibet etiam acceptione, est; *Dubia*, juxta vulgarem acceptionem, & methodum, in pejus pronior. Ita etiam *Asthmatis convulsivi* & *Tussis sicca*, imprimis juniorum, curatio per *alterantia* hodie vulgo magis commendata, ut & per *Expectorantia*, communissime fit *equivoca*. *Hemoptyses* recentis matura oppressio per *adstringentia*, perpetuo *equivoca*, & certioris *phthisicos* architectus: certissime omnium, quo magis *sanguis* in corpore abundat: aut hæc evacuatio aliarum *consuetarum* emanationes secuta est. *Humide* quoque *Tussis* per nuda *alterantia*, discutientia, aut quoquo modo *beccica expectorantia*, curatio *equivoca*: per *sistentia* ex *Opio* etiam periculosa.

LXXI.

*Præcordiorum* pathematum ( nisi quæ manifestius à crassioribus diætæ vitiis pullulant, & in corporibus insuper robustis, de reliquo etiam optime sanis, imo huic excretioni jam alias quoque adsvetis ) curatio per *vomitum*, ordinariè *equivoca* est, ut vel nihil juvet; vel non nisi ex accidenti in uno aliquo subiecto, innumeris aliis refragantibus: vel revera noceat: certissime quidem, quando vel simpliciter *plethora* adest insignis: vel ipsa illa pathemata à *plethora* maxime dependent: vel patiens alias valde *flatulentus* est: vel *hemorrhoidalia* subsunt, pathemata aut molimina.

LXXII.

Ita etiam in reliquo statu *plethorico*, imprimis cum *excretionibus* sanguineis deficientibus, & vitæ genere non apprimè mobili concurrente, *Martialium* usus, paulo copiosior, aut qualiterumque certius *subadstringentium*, *equivocam* curam absolvet: *volatilium* etiam *urinorum*, imprimis in corporibus paulo spongiosioribus, & reliquis antedictis circumstantiis, valde *equivocam* curam exhibet.

LXXIII.

Quid vero in *seniorum* coorientibus *hypochoondriacis* pathematibus, ab *Hæmorrhoidum* in viris, aut *mensium* in fœminis, cessatione, aut in viris etiam à novis talibus moliminibus, dependentibus, ista talia præstent, præter quam maxime *equivocam* curationem, experientiam arbitram facimus.

LXXIV.

In *fœminarum* gravioribus *hystericis*, æque ac virorum insolentioribus *hypochoondriacis* passionibus, quam familiares & vix non solennes sint, *equivocæ* curationes, quæ vel nihil, vel nihil constans, sed nude *temporarium* atque palliatum, ferant, vel penitus in *deterius* patientes conjiciant: imprimis è tali minus periculoso statu, in periculosiorem *hecticum*, *cachecticum*, *œdematosum*, *hydropicum*, *phthisicum*, *convulsivum*. *melancholicum* febres *inflammatorias*, aut eruptiones sanguinis violentas atque profusas, &c. experientia loquatur.

LXXV.

Quorsum etiam profecto pertinet illa aliquorum *εγχειρησις* tales affectus per *Marcialia* remedia tentandi, illa methodo, ut hujus generis medicamenta *continuo usu per plures menses* adhibeantur. Licet enim casus agnoscam, ubi hoc remedii atque methodi genus non contemni debeat: tamen ita promiscuè & indifferenter, impr. nullis præmissis sanguinis veris & sinceris *ventilationibus*, hoc in usum vocare, ad *equivocas* curationes constanter refero.

LXXVI.

Jam si eminenter *flatulenta*, & hoc nomine *spastica*, atque varie *anxia* pathemata, tum variarum ætatum, tum imprimis provectorum, intueor, quæ vulgus plebis & Medicorum promiscuè, ventriculi vitio adscribunt, einen verderbten Magen: sive illud *atonie* imputent, *schwachen Magen*; sive cruditatum imprimis lentarum atque *viscosarum* saburræ, quam *frigidam* nominant Veteres *verfästeten Magen*: à recepta therapeutica doctrina, nihil usquam expectandum est, nisi *equivocam*



*cum.* Dum enim jam *tonum* restituere & roborare, jam materiam *frigidam* atque lentam corrigere in animum inducunt, per *calida* remedia, tam variarum formularum, quam acriorum *aromaticorum* ingredientium, imo oleorum distillatorum, *equivocam* curationem omnes perpetrant: tempore brevem & evanidam, quæ unam vel alteram horam mitigare visa, sensim in graviora mala patientem conjiciat: *Hæcticam, Hydropem, Febres acutas*, imo *inflammatorias*, *Ardores* ventriculi magis magisque vehementes, quibus dum *terres assarim* objiciuntur immensum crescit *equivocatio*, & pejoris quidem imprimis significationis.

LXXVII.

Jam si pathemata inter *abdomen atque lumbos*, imo *renes* atque urinam reciproca, ingruunt. quæ ibi *equivocationes* committantur communissime, jam supra diximus. Certe enim hi affectus ejus sunt indolis, ut raro in præsentis, ultimæ classis censum pertineat *equivocatio*; ut nempe qualitercunque bene succedens morbi *sublatio*, saltim illud dubium relinquat an Medici vera arte atque opera, an vero alia quacunque bona fortuna, patienti ita felix affulserit: sed communiter omnia male cedunt, & familiarius quidem in deterius, quam usquam in melius.

LXXVIII.

Ita etiam profecto in ambiguo hæret loco, quid de *propulsione calculi* Medico tribuendum sit. An inquam ille revera Medici arte atque opera magis saltim *propulsus* sit, an potius *productus*? Hic inquam præsens qui procedit calculus *sponte commotus*, & sub medicamentorum usu tandem ad exitum perveniens, sæpe profecto nimium quam manifesto *equivocum* manet, an vere *Medicina* illi hoc tribui debeat, an potius verisimilius *spontaneis* successibus assignari. Profecto, nisi hujusmodi medicatio constantissime & idem præstet, & evidens quidem illud, certum imo & satis promptum, ambigua omni jure manet ejus energia & qualiscunque affectata gloria.

At vero faciemus ne etiam operæ pretium , si de *Hydro-*  
*pis* curatione per usitatas doctrinas , verba facere suscipiamus?  
Vereor certe ne cum larvis pugnare censeamur , & in *ambi-*  
*guum* saltim vocare , quod nusquam sit. Illud certe miserum  
est , & meritò dolendum , quod hic felicissima etiam experi-  
menta , & dignissima profectò , quæ nunquam evanida fierent,  
gravissima fata experiantur , v. g. curatur *Hydrops* non tam *con-*  
*silio* , quam *auxilio* , nempe peculiari medicamento , in distantem  
provinciam transmissio. Æger diu illo laborasse scribitur, va-  
riorum, neque certe dignitate obscurorum Medicorum, con-  
silia atque medicamenta frustra adhibuisse : supervenit lon-  
ginquioris Medici *peculiare medicamentum* : æger convalescit,  
post aliquam diu continuatum usum. Hactenus omnia opti-  
mè. Laudatur medicamentum tanquam tantæ energiæ com-  
pos. Sed mala fortuna negat ullum secundum nedum tertium  
exemplum illi primo respondens. Profecto vero operæ preti-  
um esset intelligere , ubi hæc *equivocatio* hæreat. Cum minime  
simpliciter omnem bonam energiam talibus medicamentis  
denegare usquam in animo habeamus : Interim illud etiam  
nunquam probare possimus, si ita crasso modo , ab uno aut al-  
tero, feliciose eventu, ita statim *universali & absoluta* energia fin-  
gatur : vel etiam, per alterum extremum, quando non *promiscue*  
*perpetuo* juvat, *omnis* energia simpliciter *denegetur*.

LXXX.

Non optandum solum , sed omni jure exigendum etiam  
esset , ut illæ *equivocationes* solidè discuterentur, quando reve-  
ra medicamentum aliquod ad certos, neque leves quidem il-  
los, affectus, aliquam, imò nec ipsam etiam levem, efficaciam,  
exerit; neque hoc etiam *plane rarissime* præstat : interim etiam  
*satis sepe* in hoc effectu deficit : ut ejus rei solidior atque cer-  
tior ratio non solum haberetur , sed omni omnino studio &  
industria vestigaretur. De exemplum. Constat de certo ali-  
quo remedio , quod effectus ediderit in varii generis affecti-

bus; & *eximios*, & numero non paucos, adeo ut in aliis generibus decem: in aliis viginti: in aliis triginta in aliis plures, innotuerint, consideratu dignissimi successus. Distribuuntur interim hujus medicamenti, v. g. *millies millena doses*, & quidem in varias orbis partes longe lateque. Sit ita, quod ad minimum *dimidia pars*, imo multo amplius, saltem *bona spei causa*, potius *preservandi* assumptæ seu *absumptæ* sint: quid de reliquis fiet? nonne ex tanto numero *luculentissima*, & *celebratissima* sperari debet *observationum seges*. Mereretur hæc profecto, etiam ad *spicilegium usque*, colligi, & *imprimis* ad *veram atque solidam experientiam anglicæ* ita evolvi, ut *solidius dilucesceret*, quibusnam casibus ejusmodi *bona efficacia verè solidè*, & *sub vera fiducia*, destinari posset.

LXXXI.

Quid verò amplius dicamus, de *Apoplexia*, de *Syncope* & *Lipothymia*, de *gravibus Palpitationibus cordis*, de *Deliriis* variorum generum, tam *acutis* quam *chronicis*, de *pavoribus*, *tremoribus*, verè *Paralyfi*: De *variis oculorum vitiis*, ab *insigni hebetudine*, usque ad *cæcitates* tam cum *concrementis*, *panno*, *catracta*; quam sine illis, *gutta serena*? Ita etiam de *auditus*, *olfactus*, imo aliquando etiam *gustus* ejusmodi defectibus; qui non tam ad *organi ipsius* aliquod *insigne vitium*, quam ad *energiam à priori* aliquem defectum, & *influxus* ejus *imminutionem*, pertinere videntur. Quot verò modis *curationes* ibi *occurrere solent æquivocæ*?

LXXXII.

Placet de *Palpitatione cordis* & *oppressione spastica*, exemplum proferre, quod *illarum æquivocarum curationum* aliquod *specimen* exhibere possit. *Illustrissima quædam Virago*, septendecim circiter annorum, *tenerioris quidem staturæ* atque *texturæ*, *indolis autem vividissimæ*, & *habitus etiam omninò floridissimi*, ab *otio muliebri* & *vitâ sedentariâ aliena*, *excursionibus autem*, imò *longinquis itineribus*, *iisque expeditissimis*, *postarum cursu exequendis*, *favens*, *corripitur aliquando*, post *otiosiore* per *plures septimanas*, *maximam*

"mam propemodum partem æstivi temporis, vitæ rationem,  
 "palpitationibus cordis gravioribus, & angustiis, valde urgenti-  
 "bus. Advocantur, Medici, neque defunt suo officio per con-  
 "silia & auxilia varia. Increbescit autem inde potius quam ut  
 "mitesceret, mali impetus: adeo ut altero die pejus, tertio  
 "ita pessime haberet, ut nihil aliud nisi instans ejus mors ex-  
 "pectaretur, & deserto prognostico, à Medicis certius illius pe-  
 "riculum, quam ullius melioris spei firmiter solatium, denun-  
 "ciaretur. Erat mentio facta V. S. nis adhibendæ: sed habe-  
 "bant Medici ab illa alieni, quod dissvaderent. Patiens ipsa  
 "(cum jam & ipsa, & adstantes, neque ab his alieni Medici, nihil  
 "nisi animæ exhalationem expectarent,) adhuc semel V. S. nis  
 "tentandæ mentionem injicit, cum vix eloqui posset; Erat  
 "Chirurgus, qui etiam cum ambitu assentiretur. Tandem Illu-  
 "strissimus Confanguineus, pro eâ quâ pollebat rariocinandi  
 "dexteritate, cum Medici constanter mortis periculum impen-  
 "dere asseverarent, & vix ullam spem vitæ amplius admitte-  
 "rent, quid impedit ergò inquit, quo minus tentetur, quod pe-  
 "jus utique cedere non potest, quam quo res ipsæ ruunt. Cùm  
 "non possunt magnopere dissentire. secatur vena, &, ut à Gallo  
 "Chirurgo, largius emittitur sanguis. Deligata vena patiens ita  
 "e lecto surgit, ut mentis aliquam perturbationem vererentur  
 "adstantes: Illa vero ita *sana & integra*, ut omnes prægressi timo-  
 "res, imo per totam urbem ad luctus usque atque planctus ex-  
 "pansa trepidatio, anxia *somnia* fuisse viderentur.

### §. XXXIII

In variis *alvi fluxibus*, imprimis autem ipsa *Dysenteria*, quam  
 sæpe *equivocationes* contingant, considerari merentur: Imprimis  
 autem in *Diarrhæis* simplicioribus, an non illæ potius *sponte* ces-  
 sent, quam arte illa tollantur? Aut arte revera cohiberi & sup-  
 primi, minus utile, imo tolerabile sit, quam prosequi, & ad  
 meliorem *successum*, sed & eò ipso *breviorem progressum*, subve-  
 nire. Imo vero, quid ex ejusmodi directis artificiosis *suppressioni-*  
*nibus*, detrimenti passim eveniat, observare.

In *Cholericis* evacuationibus, jam totam *excretionem*, pro simpliciter morbida, præmature *cohibere*: jam *Vomitum* sponte anxie conantem, directo *stimulo* potius, quam *materia dispositione*, augere: jam intempestivo *sopientium* usu, sufficientem concursum ad excretionem aut discussionem præfocare, nihil aliud quam *equivocos* successus producere potest.

LXXXV.

Quid vero dicemus de *Specificorum* usu, nisi quod ille per multiplices *equivocationes*, alibi curationem vere *equivocam* reddat, alibi, & passim quidem *equivocis* tractationibus in irritum abeat.

LXXXVI.

Certe enim verorum *specificorum* usus communiter in tali nudo experimento consistit, ut exhibitio seu administratio, sit totum illud, quod Medicus addere potest: Nulla verò alia ejus ars, aut quæcunque reliqua necessaria melioratio, in Medici potestate sit. Interim certe optandum esset, ut saltem numerosa talia remedia suppeterent. Credo facile de effectu illorum *gavifuros* esse ægros gratissimo erga artificem animo, licet ille hic nihilo plus concurreret, quam simpliciter *sciendo*, atque *tradendo*, aut *suadendo*.

LXXXVII.

Sed sane altior subest difficultas. Etiam simplicissimorum *specificorum* communiter plane peculiaris est *scientia*, tam in vera *specie* sui, atque *specialissimi morbi*: quam in specialissimo modo, *more*, *tempore*, exhibendi. Hæ certe difficultates passim effecerunt, ut turbulentiores experimentorum sectatores, quando optima etiam talia remedia, tumultuariis ipsorum & improvidis tentaminibus non respondent, pro falsis, aut ad minimum vanis, & fallacibus, nempe *equivocis*, illa traducant.

LXXXVIII.

At nihil profecto manifestius *equivocum* est, quam pollicitationes illæ non solum *preservationis*, sed etiam peculiaris *vitalis*

*roborationis*, per remedia, quæ ad ipsos illos affectus, à quibus præservare debebant, jam emicantes, nullam veram efficaciam exhibere valent. Connumerare merito in hunc censum licet, vulgo ita dicta *Balsama*, *Apoplectica*, aquas *apoplecticas*, aquas *Epilepticas*, & varia ejus generis mangonia odoramentorum, qualia jam propemodum ante sesquiseculum ab *Alexio Pedemontano* affatim producta, hodie recoqui incipiunt. Quis unus vere læsus, *Apoplecticus*, *Paralyticus*, *Epilepticus*, ab his rebus levamen aliquod speret. *Gynecæis* quidem aptiora hæc sunt, sed optime sanis: Quid enim magis notari meretur, quam quod, quibus alias debile est caput, & ut vulgo loquuntur *genus nervosum*, illæ his graviter offendantur, & conjiciantur potius in graviore. s sensuum internorum & externorum perturbaciones, quam ab illis liberentur.

LXXXIX.

Ast vero, ne dies, nos prius, quam rerum series & farrago destitvat, non ultra progredi continuabimus, sed illam tantum adhuc *curationis equivocationem* notabimus, quando qualitercunque præfens aliquis morbus equidem subigitur, interim de certis ejus sive *recursibus*, sive novis *successionibus*, aut per imperitiam aut per negligentiam, nihil Patienti prospicitur. Introducit hanc curationum *equivocationem*, infausta illa omnino præsentis ævi non tam persuasio, quam nuda & vere cæca credulitas, de *materialium vitiorum* directa energia & unica quidem ita à posteriori, in *motus*: nulla vero *Motuum* à priori, læsione aut *operositate* agnoscenda. Cui commento adjungunt par alterum, quasi his vitiis *nuda alteratione* non solum possit occurri, sed etiam debeat.

XC. Quo ipso tollitur vera cognitio alterationis *Motuum*, magis à priori per, imò propter *quantitatem* potius, etiam adhuc satis *bonorum humorum*, quam per *qualitatem* corruptorum. Et adeo quidem subducta omni vera *Theoria*, imò potius ipsa *historia* talium affectuū & effectuū, non potest *univoca* methodus atque cura instrui, quæ hisce impendentibus malis decenter, & vere *artificiose*, subvenire possit.

XCI. Non placet de *Ischiadico* malo, *Gonagra*, *Podagra* prolixius sermocinari, & quolibet intuitu *equivocas* in hisce affectibus curationes denotare. Nedum de illo *articulari* malo verba facere, cujus nequidem *clasicam historiam* aut mentionem invenire liceat, nedum *univocæ* curationis spem: *Apostasin* intelligo Hippocratis febrilem ad *articulos*, quam aliqui paulo peritiores, etiam ex recentioribus, *Rheumatismi* nomine celebrant: Communes autem cum *Arthritide*, *Chiragra*,

*Gonagra*, partim opinione, partim etiam ipso tandem effectu incongruæ medicationis, confundunt.

XCII. Progredimur potius, sed tamen illud etiam, & justissimum quidem, sine prolixitate, ad *formularum* medicarum *equivocum* usum seu efficaciam. Certe antiquiores solertius adhuc scenæ subservire & foccos hic instruere meminerant, ne audirentur sicut alto cothurno incedentes. Habebant illi *gradus* suos *temperiei* ingredientium, e quibus concinnare laborabant suas formulas, ut nihil ibi extra *proportionem* temere conjugere viderentur, quin vel *materiarum* mutuo consortio, vel affectuum supposito excessui *frigoris* aut *caloris*, quadraret. Quamvis autem etiam istæ distributiones, dico inter tribus ejusmodi digestiones, *equivocatione* maxima niterentur; tamen qualemcunque adhuc speciem ifaciebant, præ recentioribus quæ ne hoc quidem amplius præ sese ferunt.

XCIII. Notum est quam false hujusmodi proterviam, jam ante tot secula, deriserit *Plinius*. Ut profecto, nisi etiam hodieque magis qualicunque specificæ efficaciam, subtilissimos *motus* magis respicienti, quam *materiæ alterationes* inanes, superstruatur, irrita certè communiter, *vana*, & simpliciter *falsaria*, sit illa coacervatio remediorum in unam formulam.

XCIV. Revera vero etiam non minus sterilis est illa *simpliciorum*, imo subinde simplicissimorum, in primis non tam natura quam *arte* productorum, deprædicatione, & non solum in *multas*, sed etiam *magnas*, virtutes destinatio. Notum esse potest, quid in hunc abusum jam ante hos XXII. annos digito intento designaverit Dn. D. Præses, in juvenili adhuc Opusculo *prodromo ætiologiæ Chemicæ* inscripto: quod nempe pollicitationes illæ, v. g. à *Crollio*, quibuslibet simplicibus quin alicubi etiam *fatuis*, præparationibus adscriptæ, *vanzæ* sint passim & fallaces. Quod profecto quantum in varias frivolas, non tam commentationes solum, sed etiam commendationes, circa efficaciam materiæ medicæ quadret, a minimum quæcunque sperari potest posteritas, detestabitur.

XCV. Minimum omnium *equivocationis* admittit *Chirurgia*, sed *peritæ* magis quam *curiosa*, seu potius *sciola*. Hæc enim non solum circa *physicas*, sed etiam *stru-cturales* & ficticias *fiendi & agendi methodos materiales* implicata, *anonyma* magis, *acido* in corpore, de *acido volatili*, in putredine, de *spinis* infixis, concionabuntur.

XCVI. At nimium quantum univoca magis est, quæ novit, *structuram* corporis directe saltim promovere, nedum regere, aut per minima dirigere, extra omnium *artis* potestatem collocatum esse: sed tamen sponte fieri: *sua tempora*, *sua successus*, *sua augmenta* habere: *directe juvari* non posse *impediri* vero posse: quomodo *possit*, imo vero quomodo *soleat* impediri? quomodo hæc solum *impedimenta removere*, intercipere, præoccupare, & deceat, & liceat? *Qua cura*, qua

iduitate, qua vigilantia, qua circumspeditione, hoc agere conveniat? Quam nihil hic temere *innovare*, aut simpliciter, alieno modo atque more, tentare, vel consultum videatur, à priori, vel concessum, sine notabili noxa, à posteriore.

XCVII. Ubi tamen maximo jure meritoque atro carbone notanda venit *æquivocatio* illa curationis, qua *Chirurgi*, imo qui hodie promiscue hoc nomine abutuntur, *tonsores*, non jam amplius *Chirurgiam* seu manuales operationes exercent, sed *alterationes*, imo *medicationes* temere suscipiunt. Non applicant amplius *emplastra*, *unguenta*, aut administrant *V. S. nes*: sed *ordinant*, & pro sua phantasia & *instruunt* & *instituant*: imo *commovent* corpus univèrsum variis, & communiter rudibus & impetuosis *evacuationibus*. Quid vero *homonymum* est perperam, seu *æquivocum*, si jam amplius dissonare non potest, *Chirurgia*, *manuum* inquam *opera*, à *judiciosa* & maxime *solerti consilio*, quo *Medicina* absolvi debet.

XCVIII. Interim peritos nec illud etiam fugit, quod vulgaris imperitia Medicorum in veris scopis *Chirurgicis*, & imprimis intima illa *æquivocatio Chirurgiæ Pharmaceuticæ* & strictè *organicæ* seu *instrumentariæ*, latius communiter disseminet etiam reliquam *in agendo*, imo *in effectu homonymiam*, quam auxilium hinc prudens posthac admittat. Quid enim indignius, quam *homonymiam* illam audire, qua *tonsor Medico* præsentis non solum audeat *quæstionem status* movere, quid *suarum*, quid *Medici* sit partium: *das mußte er wissen, und nicht der Medicus*; circa *emplastra*, *unguenta*, *septica*, *vesicatoria*, *acria abstergentia*, *Mercurialia* &c. sed etiam subinde hic ille *Medicus* vel plane nihil habeat, quod *excipiat*: vel nihil nisi *particulas* acuminatas, hamatas, irritantes, divellentes, discindentes: Cui altiori *Philosophiæ*, si impar sit *tonsor*, atque adeo *Medici consiliis* & auxiliis locum cedat, illud habeat, non voluntariæ licet, *prudentiæ* redhostimentum, ut quaudò ibi etiam pessime cedit negotium, non sua, sed *Medici opera*, cura, imo culpa illud evenisse, gloriari possit.

XCIX. *Pharmaceuticas æquivocationes* ne quidem attingere fert animus. Otium poscit, otiosas res excutere. Meliora profectò sunt, quæ simplicius vera sunt: omni modo vero magis *æquivoca*, quæ multam operam postulant: Quæ si insuper *artificiosa* esse debeat, & cum *judicio* simul atque *dexteritate* & peritia conjuncta, sine ullius hominis injuria audeo interrogare, apud quorum quemque *pharmacopæum* hæc univocè quærere licuerit? Iam si etiam *Medicus*, qui *pharmacopæo* superattendere debet, aut ipse præparationes *pharmaceuticas* sibi sumit, potius in *figura particularum*, quam in *scientia compositionum & operationum*, tempus suum collocavit, quid inde, è rebus inquam undique tam *æquivocis*, aliud subnasci possit, quam perpetuæ *æquivocationes*, omnibus idoneis arbitris *dijudicandum* commendamus.

C. Rectè profectò *Seneca*, ubi servitutem à fortuna injunctam, immerito temere & simpliciter despectui haberi monstrare suscipit, ad frivolas & abjectas servitutes avocans considerationem: *Dic quis non serviat?* inquit; Puto nos hoc eodem jure commendare posse hanc considerationem in triviali *Medicina*, *quotusquisque non æquivoca*, incerta inquam, aut aliena hic agit? Vix profectò dubito, quin huc etiam ex eodem *Philosopho* trahi possit, imò applicari, quod pro more, nempe & sapientissime atque verissime, & scitissime, dicit de tempore: *maximam nempe vitæ (temporis) partem elabi & perire, nihil agentibus; magnam mole agentibus*.



le agentibus, totum aliud agentibus. Nihil hic circuitationis agnoscimus, unde nihil etiam difficultatis, quin simpliciter ad nostrum negotium transferatur.

CI. Ne tamen non *Medica* methodo hanc nostram, rem tractare, argui possideamur, aliqua etiam dicenda veniunt, de mali hujus remedio: siquidem *quæ nullum respectum ad suscipiendam sanationem habent, Medicæ considerationis esse ducenda sunt.* Quid vero etiam non votis solum, sed omnibus profecto *non vis consiliorum & auxiliorum dignius esset, quam miseris has ambiguitates, in veras fallacias seu eventuum speratorum falsitates, tollere posse, & ad veritatem metam reducere,*

CII. Quis autem tam profundæ corruptioni superficiali auxilio, & levi quæ ajunt manu mederi suscipiat? At prolixum hic esse vetat tempus, & consuetudinem speciminum, quale hic exhibere suscepimus, ambitus. Puto defungi me posse se meo munere, si non tam quæ *possunt* dici, quam quæ *debent*, dixero. Rendum itaque, quo hæc aberrationum universa turba & labyrinthus in verum compendium imo regiam viam redigi possint, unum est, **VERA MEDICA THEORIA**, ab ineptis *Physicæ* cujusvis immixtionibus in hunc circulum, repurgata. Adeoque etiam **VERA METHODUS MEDENDI**, non irritis & supervacuis simplicibus *alterationibus materialium in corpore, sed energiis & directionibus motuum, & veræ Synergiæ Naturæ*, superstructa. Abstrahens etiam ab inani illo, sæpe frivole mendaci fastu, *varii apparatus circa remedia multa, & quoquo modo speciosa: sed potius hic etiam insistendo & invigilando simplicitati, quæ propria est veritati.*

CIII. Et licet sub tali *Medicina* instruenda revera *nova facie* atque forma merito in mentem venire posset, quod, si illa hac ratione institui deberet facile *gens æquivocatio* moveri posset, circa veram significationem & acceptionem tui **DE SOSTRO**? ausim tamen in me recipere, imo populum rogare & rogationem facile perferre, quod hic libenter, *honestum*, adeoque etiam minime contemnendum Medico *honorarium* constituendum suscepturus sit, si non solum *vaciter, & sine dolo malo*, quid in quoquo morbo ejusque loco atque tempore *stare* liceat, vere atque liberaliter prædicatur: sed etiam quicquid tandem præstare valet, *sincere, secure, dextre, sine fuce & palliatione inani, sine fluxibus & incertaminibus, sine cæco & simpliciter fortuito eventu, nullis firmis experientis superstructo, cum dispendio temporis, securitatis, imo subinde salutis, præstetur.*

*Sufficere hæc poterunt, nisi quidem plus nimio dixisse videamur: Nobis paucaxisse videmur, imo nihil nisi unum, nempe verum: nisi quidem hic etiam defecim quod quidem secundum species factum esse, lubentes agnoscimus. Pro certo habemus æquivoca etiam hunc nostrum conatum manere judicia. Sed cadit propter dum illa σοφισμῶν & jam passim videri videas larvas personatarum nugarum, antiquari autoritates nudis verborum lenociniis fucatas. Nos de veritate bene sperantes tanto minus piget jacere ulterius hanc aleam, cum jactæ nusquam esse, quæ poenitere debeat, affatim videamus. Imo vero, cum verè hæc esse sciamus, Deum autem fontem esse imo & columnam veritatis, tanto firmiore fiducia etiam hic veritatem asserere nihil dubitamus. Quin potius divinæ gratiæ humillimas persolimus gratias, quod etiam huic veritati in medium producendæ vices nobis largivoluerit clementissime, eique porro hæc in commune humani generis commundum tendentia, nosque & nostra omnia, humillime commendamus.*